



NECROLOGIA



† R. P. Georgius Nicholson (1865 - 1954)

(*Prov. Anglicae*)



Vespere diei undetrigesimi mensis Aprilis huius anni in Bishop Eton, Liverpool, circa horam decimam cum media, pia morte occubuit R. P. Georgius Nicholson, nonagesimum annum agens. Postquam ultimis tribus vel quattuor annis decies sacra unctione munitus est, tandem tranquillissime exspiravit in medio confratrum orationes pro moribundo dicentium.

P. Nicholson die 27 mensis Martii in oppido Birkenhead dioeceseos Salopiensis (Shrewsbury), filius devotissimae familiae catholicae, natus est, quae praeter confratrem nostrum duos filios sacerdotio coronatos vidit, unum sacerdotem saecularem, alterum Iesuitam. Georgius a Patribus Iesuitis in collegio S. Francisci Xav. Liverpolitani bene educatus, professionem Redemptorianam emisit die 8 Septembris

1884, et die 30 Augusti 1891 sacerdotes ordinatus est. Ab incunabulis operis sui missionalis magnis honoribus afficiebatur in Anglia, Scotia, Cambria, Hibernia, quae regiones illo tempore Provinciam Anglicam constituebant. Orator notabilis erat, immo secundum sana iudicia contemporanea in generatione sua omnium optimus in Anglia. Ceteri florebant vel materia vel dictione sua, nemo autem omnes dotes oratorias tam excellenter in se uniebat quam P. Nicholson. Veteres Patres Provinciae narrant eum palmam assecutum esse, quando praedicabat traditionales materias Alfonsianae missionis, scil. veritates aeternas, quas non modo rethorica elegantia et pastorali dexteritate, sed preeprimis omni vigore agere solebat. Ad audientium captandam benevolentiam valde eum adiuvabat indoles faceta, qua in notitiis magnos sermones antecedentibus ample utebatur, sed non nisi illa cum temperatione atque prudentia, quas loci sanctitas vel aliae circumstantiae exigebant. Vere suo oratorio, quod reliquorum oratorum vere longius fuisse videtur, in sermonibus extraordinariam sublimitatem regulariter assequebatur et Dei instrumentum factum est pro multis animabus convertendis, immo pro innumeris non catholicis ad veram fidem reducendis.

Quae hucusque exposuimus, forsitan exaggerata videntur, sed numeri in acta relati quo seipsis loquuntur. Dubitari nequit, quin in Anglia nemo unquam eos aequaverit, nec verisimiliter quisquam in universa Europa. Sexaginta tribus annis sacerdotii sui P. Nicholson 952 missiones aliosque labores apostolicos praedicavit, in hoc numero nulla ratione habita illorum laborum, qui non saltem tres integros dies duraverint. Ducentas quindecim missiones acatholicis praedicavit, quarum unam Romae in ecclesia S. Susanna a. 1926, qua occasione etiam Studentibus Collegii a S. Beda exercitia spiritualia direxit. Tunc receptus est in Audientia privata a Summo Pontifice Pio XI, qui specialem benedictionem ei impertitus est pro opere conversionis haereticorum in Anglia. His ultimis in sinum Ecclesiae reducendis tam strenue allaborabat, ut in viis et compitis etiam ignotos alloqueretur, statim in medias res saliens: « Tu catholicus fieri debes, si vis animam tuam salvam facere! ». Notabilem manipulum revera hoc modo in « unum ovile » reduxit. Unus e primis, qui acatholicis missiones catholicas praedicaverint, fuit P. Nicholson.

Exercitia clero saeculari praedicanda in Anglia non raro nostris committuntur, et P. Nicholson viginti tribus vicibus hunc laborem praestitit. Pluries quam ducentis vicibus in ecclesiis Jesuitarum praedicavit, et Rector Collegii Liverpolitani, condolentis animi sensus nobiscum communicans, scripsit defunctum multum contribuisse ad amicitiam Iesuitas inter et Redemptoristas in Anglia stabiendum.

Ultimis vitae suae annis P. Nicholson laborum suorum elenchem exarabat, et tum apparuit eum diebus singulis longae vitae suae saltem unum sermonem habuisse, in universum amplius 32.500! Magna harum praedicationum pars de B.M.V. tractabat, quam tamquam verus Redemptorista tenero affectu venerabatur. Verba in eius honorem prolata haud raro lacrimis et oratoris et audientium

permixta erant, id quod rarius, quam in ceteris mundi partibus, in Anglia fit, cuius incolae tamquam specialem et pretiosam Providentiae dotem certam affectuum seu reactionum tarditatem acceperunt.

Senex, cum ad activum apostolatum noniam exire posset, verus Ieremias inventus est « *Propheta Dei* », « *fratrum amator et populi Israel, hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate* » (II Mach. 15, 14). Amor erga « Nostram Dominam Benedictam », sicut in Anglia B.M.V. verbis « *Our Blessed Lady* » appellatur, adhuc augeri videbatur. Omnes persuasum habemus Matrem de Perp. Succ., cuius encomia Pater tam saepe protulit, ei magnam gratiam procurasse moriendi in sinu Congregationis et adeo pacifice. Certissime suscepit eum S.P.N. Alfonsus ad accipiemad coronam praeparatam eis, qui vivunt et moriuntur fideles vocationi nostrae Redemptorianae, R.I.P.

J. BERRY - H. NIEMANN